

.

1. sp(ec)ulum, principes terrarum:
Gaudium quod seculum dat, quam datur parum!
Dulce quod premittitur, sapit et est clarum,
Tedium quod sequitur, nimis est amarum.
2. Imperator noverat hanc conclusionem,
Sensum postposuerat sequens rationem:
Seculo concluserat, quod dat talionem,
Qui semper quesierat divam regionem.
3. Hic est qui pauperibus, sua condidit,
Cui totis viribus seculum arrisit.
Nec ullis temporibus tamen huic irrisit,
Qui ad petram fortiter parvulos allisit.
4. Cesar fuit optimus tutor pupillorum,
Inter omnes maximus pater orphanorum,
Arbiter equissimus, spes desolatorum,
Adiutor promptissimus gratis oppressorum.
5. O quam sanctis estibus hic intus ardebat,
Regiis in vestibus qui foris splendebat!
Preciosus habitus fastum pretendebat,
Quem vis sancti spiritus procul repellebat.
6. Eius cor ab omnibus immundis immune;
Ibat totis viribus ad bonum commune.
Nec contentionibus favit importune,
Nec quis obstans legibus transivit impune.
7. Singulis temporibus dei in timore,
Sanctis in operibus fervebat amore.
Orbem iustis legibus rexit cum honore,
Quem mors suis faucibus succidit in flore.

1, 1 Von spulum — terrarum ist der obere Teil abgeschnitten; zu Anfang ergänze ich: (Videtis per) 1, 4 vgl. Archipoeta III, 25, 4 Quod caret dulcedine nimis est amarum 2, 4 quaesiverat DREVES 3, 2 vgl. 6, 2; 40, 3 3, 4 Ps. 136, 9; vgl. Reg. S. Ben. ed. 2 BUTLER S. 4 f. 5, 3 festum A, korr. DREVES; vgl. 53, 1 6, 3 vgl. 31, 2; importune 'ungebührlich'; DREVES änderte in opportune